21.



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè discurienda, in Scholis Medicorum, die Mercurii septimo mensis Aprilis, Anno Domini M. DCC. L I.

M. PETRO BERCHER, Doctore Medico, Præside.

An nostris in Regionibus à potu glaciali abstinendum?

I.



QUANTÙM in vivendi modo peccent homines, solus ille novit qui auream diligit simplicitatem. Primi parentes victu admodùm simplici, solâ aquâ, & oleribus ut plurimùm contenti, senectutis limites attingebant ultimos, expertes tot malorum quæ secum invexit mensarum luxus. Diceres hodie de sanitatis pretio hominem non esse sollicitum. Nùnc vigentes receptosque usus tantâ (qualescunque sint) amplectitur reverentiâ, ut ipsum puderet ab iis vel minimè declinare. Nùnc solis irretitur blan-

dimentis, solis obtemperat sensibus. Conqueritur de suâ breviori vitâ, innumerisque lacessitâ morbis; medicis sese obliget legibus, sanus vivet, vivet & senex. Tutam noscet vivendi normam, quam non innoxiè violari inconsultior multorum quotidiana satis comprobat experientia; potûs edíscet proprii convenientisque delectum, in quo non leves ab omnibus ferè committuntur errores. Aqua, primus homini potus ac cæteris animantibus, nunc ad vitæ necessitatem, nedum ad voluptatem, vix sufficit. Magno parantur sumptu infiniti propè generis liquores, alii aliis generosiores atque ardentiores, mensarum, dicam, omnium deliciæ; cerevisia quoque, pomacea, vina, quæ pro soli naturâ, ætate, & vario conficiendi modo, variis prædita sunt dotibus, quorum ut multis quæsitus, arridensque potus, sic non rarò solet esse noxius. Nec tot irritamentis satiata conquievit gula; ne quid fortè intemperantiæ deficeret, insalubria salubribus miscuit, calida junxit frigidis, quin & nivem, glaciemque in usum traxit communem; ubique gentium in deliciis nunc habetur naturali corporis temperie frigidior potus, à quo quàm valdè lædatur homo, vix credibile.

I I.

POTUS glacialis, frigore quo pollet eximio, æstuantis medicina ventriculi, temperati venenum est. Sapit igitur quisquis stomachum interrogat suum, & attentè dignoscit noxia ab utilibus, ut his utatur, illis verò abstineat, quid valeat, quid ferre recuset, quid ætati, temperamento, regioni, quid variis tribuendum anni tempestatibus. Ventriculus enim ingesta quæque non recipit impunè, à tali cibo vel potu delectatur vel læditur. Æquali semper facultate non digerit omnia, æquali semper quippè non pollet virtute. Ad perfectæ digestionis opus requiritur exquisita partium quibus constant alimenta, vel minimarum dissolutio, nunquam bellè & ex naturæ votis peragenda, ni superatâ priùs ciborum contentorum resistentiâ, fibræ ventriculi motrices nisum exerant, quo ulteriùs subigantur illi, & atterantur, ni blando prætereà calore, aëreæ quibus turgent edulia, evolvantur moleculæ, & fluidorum dissolventium, intentiùs adaugeatur actio. Quæ omnia si quâcumque de causâ deficiant, imperfecta manet ciborum concoctio, grave reliquo corpori damnum indè allatura; qualis enim fuerit chylus, generosus, aut ignavus, benè aut malè subactus, prosperæ vel adversæ valetudinis, est causa. Primæ coctionis error alterius vitiandæ gradus est; non minùs ei nocent quæ illam frænant, quàm quæ nimiùm incitant. Uberiore caloris ventriculi, & actuosarum alimenti particularum copiâ, quod in chylo pingue inest, aduritur, ac in sordes rancidas convertitur, vi eorum languidiore acescunt alimenta, fructus velut immaturi, & acidos, nidorososque ructus efferunt; quibus igitur æstuat ultrà modum ventriculus, regionum videlicet calidissimarum incolis, confert aliquandò glacialis potus, ne calore nimio, ipsorum torreantur viscera, membraque resolvantur: nos verò temperatæ regionis indigenæ talem procul rejiciamus potum, quo dejicitur ventriculi facultas, omnesque læduntur corporis partes.

I I I.

ÆSTIVO præsertim tempore viget apud nos potûs glacialis usus; dùm autem extinguimus sitim, vel obtemperamus instigationi sensuum, quot acerba nobis imminent mala! Præter enim colicos dolores, tormina, cruciatus, quos ille potus affert ventriculo, ipsius pervertit tonum, nativum extinguit calorem, nec eum penetrare sinit in minutiores alimentorum moleculas, quas nedùm diluat & relaxet, cogit, densatque, nedùm liberet à vinculis, vegetiores illarum ligat, enervatque particulas, vetat ne succorum dissolventium, salivæ nimirùm, succi gastrici, aliorumque fiat secretio, ipsorum, si qui sint secreti, obstat energiæ, aëris obtundit actionem; adde quòd æstivo præsertim tempore minor sit ventriculi vis, quòd tunc alimenta quævis ferat difficiliùs, si fides Hippocrati qui vult *cibos æstate & autumno difficiliùs ferri, hieme facillimè*, quia tunc ventres calidissimi, *vere minùs*; (a) undè Aristo-

(a) Aph. 18. Lib. 1.

teles æstate ciborum paucitatem, potum è contrà instituit largiorem: nec immeritò sanè; si enim jam imbecillior ventriculus, caloris propter dissipationem, alimentorum mole obrueretur immoderatâ, brevi fatisceret, omnisque illius pessundaretur facultas; si tunc glaciali impleatur potu, necessariò læditur, nulla vel saltem prava fit digestio: hinc nonnisi crudus & malè subactus chylus, venas subit ægrè cum sanguine commiscendus, obstructionum, morborumque graviorum ubiquè ferax. Si dubites, attende ad nativas sanguinis dotes, per quas stat vita, floretque sanitas, fluxilitatem nempè, ac tenuitatem, quibus singulis alluendis partibus aptus evadit, quoquoversùm diffunditur, congruamque nutriendarum partium subministrat materiem, quas vivifico latici dotes adimit crudioris admixtio materiæ, quæ ipsum inspissat, cogit, & ad permeandum, circulandumque longè facit ineptiorem. Ab hoc fonte morborum omnium causas, mortem ipsam quæ tot abripit inopinantes oriri, quid vetat asserere? Nec ventriculo solùm potus glacialis officit, omnes corporis disturbat, pervertitque functiones, sanguinem ipsum valet etiam coagulare. Triplici enim potissimùm de causâ coagulantur fluida; 1°. nempè vel ex eo quòd ipsis infundatur acidum, quod singulos quosque spiculis suis involvens globulos, obstat ne secundùm axem suum ampliùs gyrent, & spontè diffluant quaquaversùm. 2°. Quòd calore, & motu dissipetur liquor ille tenuissimus in quo natat fluidum. 3°. Vel tandem quòd frigore extrudatur cælestis materia, ipsiusque imminuatur motus, quo fluidi moleculas agitat & volvit. Porrò quâ frigus augetur proportione, eâ extruditur & irretitur materia cælestis, adeò ut aucto magis ac magis frigore, avolet ipsius pars maxima, quiescatque superstes pars altera, & particulæ sanguinis crassiores ac viscidæ, non ampliùs agitatæ, ad invicem accedant, & in corpus agglutinentur solidum. Sic frigus quosdam passim enecat homines, sic quasdam interdùm congelat corporis partes. Hinc facilè deducitur quantâ frigus eximium cautione sit vitandum, quantâ proindè curâ sit abstinendum à glacie quæ intentiorem in se continet frigoris gradum.

IV.

IMMANE quod de potu frigidissimo variis ab authoribus observatum legitur apud Bartholinum! Dicit *Bruyerinus*, non sibi tantùm sed aliis non paucis aulicis, gulam vino in cellis subterraneis refrigerato penè fuisse emortuam (*a*); aliàs Gonzagam Mantuanorum Principem potu glaciei fuisse extinctum (*b*); à nimiâ oris collutione cum frigidâ in acutâ febre mortuam mulierem notat *Nicol. Tulpius* (*c*); quidam nimio aquæ frigidæ potu syncope mortuus est apud *Marcellum Donatum* (*d*), quod in nobili Patavino vidit *Benedictus Sylvaticus* (*e*); coloniæ agripinnæ referunt quemdam ex nivato vino subitò expirasse (*f*); narrat & ipse *Bartholinus* ex potu nive intentiùs refrigerato uvulas sæpè procidisse (*g*); aliàs observavit in nautâ sanguinem in extremis frigore fuisse congelatum (*h*). Quid mirum! si tot mala, mortem ipsam secum inferat usus glaciei, quæ ob summum quo donatur frigus, cunctis corporis partibus, præcipuè nervis est infensissima, uno fatentibus ore Medicis omnibus ab Hippocrate qui pluries nos docet *frigidum convulsiones, tetanos, nigrores, & rigores febriles adferre; inimicum esse ossibus, dentibus, nervis, cerebro, dorsali medullæ, calidum verò amicum; frigida, veluti nivem & glaciem pectori inimica, tusses movere, venarum ruptiones, & destillationes efficere* (*i*). Diceres tamen sibi non omnino consensisse, divinum senem, nec eum potum frigidissimum planè rejecisse; ipsi enim non semel placuit una vini & aquæ perfrigeratio subdio, & ab ægrotantibus utrumque jussit propinari, aliàs decocta eadem arte refrigerata & clysmos in febribus ardentibus epythemata in erysipelate pulmonis usurpare non reformidavit; nec Galenum ipsius prementem vestigia, alimentis, medicamentis, potibusque diversis, nivem glaciemque pœnituit admovisse: plures alii veteres inter, Avicenna, Archigenes, Aëtius, recentiorumque non pauci nivem & glaciem, modò intrà, modò extrà corpus adhibuêre. Famosa nunc extant exempla

(*a*) Thom. Barth. de niv. usu pag. 199. cap. 35.
(*b*) Eod. cap. pag. 200.
(*c*) Ibid.
(*d*) Ibid.
(*e*) Ibid.
(*f*) Ibid.
(*g*) Pag. 178. cap. 31.
(*h*) Ibid.
(*i*) Lib. 5. Aph. 17. 18. 24.

infinitorum cujuſcunque generis morborum qui glaciei ſolius vel nivis ope perfectè fuerunt ſanati. Nuperrimè fuerunt apud Neapolitanos & Melitenſes viri duo (*k*) qui ſtupenda potu ſolo glacialis aquæ patrarunt, qui plurimos orci revocarunt è faucibus, qui phthyſes, tuſſes inveteratas, aſthmata, variolas, febres malignas, affectus nephriticos, tremores, dyſenterias, colicos dolores, luem veneream, ventriculi imbecillitates feliciter admodùm curarunt, obſtructiones reſerarunt, ſkirros reſolverunt penitùs. Num tot exemplis potûs glacialis utilitas ſatis abundè non evincitur? Ne licentiæ præberent anſam caverunt Medicinæ Principes, *Hippocrates*, *Galenus.* Iis ſolùm glaciem non omninò recuſant, qui calidiſſimo, robuſtiſſimo quoque donantur temperamento, qui corpus plurimùm exercent, & dum tempeſtas eſt ferventiſſima; monent interim, ut ab ipſo caveant pueri, ſenes, mulieres: pueri ne frigus nervos ipſorum viſceraque reſolvat tenerrima; ſenes ne ipſis ſpaſmum, paralyſim citò inducat; mulieres, ne frigidior ipſarum natura fatiſcat, cohibeanturque menſtrua. Juvenibus etſi potus talis noxâ ſenſibili, ſtatim non officiat, huic tamen inconſideratè non indulgeant, ne progrediente ætate, ipſorum articuli nervi quoque ac viſcera morbis corripiantur vix aut nunquam ſanandis (*l*). Si autem glacialis potus quandoque ſucceſſerit in regionibus ſcilicet calidiſſimis, ægrotantibuſque nonnullis, quos furens depaſcebatur ignis; non omnibus idcircò, nec cuique regioni inter menſas eſt ſuadendus; nam „ plus æquo frigidus tùm ſpiritus, tùm cibus & potus humidum in cor„ pore congelant, & congelatione ac frigore alvos cogunt (*m*). Hinc certa mali labes, hinc plurimos ſingulis quibuſque annis videmus, vel uno glacialis aquæ cyatho, in graviſſimos præcipitari morbos, è quibus vix poteſt unus liberari.

(*k*) Un Capucin Sicilien & ſon frere. Voyez Traité des Vert. med. de l'Eau com. Tom. 2. pag. 467. & ſuiv.

(*l*) Galen. lib. de ſanit. tuend. c. 13.

(*m*) Hipp. Lib. 2. de vict. rat.

V.

QUANTÙM ad ſanitatem accurata, tantùm ad morbum confert inconſiderata vivendi ratio. Homo compoſitus ad naturæ leges, diù vivit & valet; parco laudabilique dum veſcitur cibo, & potu, omnibus quaſi morbis ſeſe facit immunem. Felix ſi juſtum in rebus teneret medium! Quantùm ab illo deflectat, triſtis eheu nimiùm teſtatur experientia! Dicant, qui fontes amant bibere glaciales, quot in morbos inciderint, quot paſſi ſint incommoda, quoties vitæ incurrerint periculum! Quandoque tamen adeò fervet aër, ut ſudore totum quaſi liqueſcat corpus: certè quidem non ideò quæſieris malum ita leve ſanitatis, vitæque damno ſublevare, in cellis ſubterraneis aſſervetur vinum, aqua è puteis hauriatur profundis, eâque vinum diluatur, tunc præſto eſt potus mediocriter frigidus, qui moderatam expleat libidinem, arrideat ventriculo, ciborumque adjuvet concoctionem, ſi verò æſtus, ſitiſque urgeat anhela, & ulterior exoptetur frigiditatis gradus, lagenæ demittantur in puteum, ita tamen ut aquam non attingant, aër enim vicinus aquæ, frigiditatem ab illâ contrahit, liquorem magis penetrat & intimiùs quàm aqua, potentiùſque ſuſpenſas refrigerat lagenas. Induſtriâ tali habebitur ſuadente *Riverio* (*a*) potus ſuavis & ſalubris, par extinguendæ ſiti qui nec ventriculum offendet, nec viſcera, quod à potu glaciali ſperare nefas, ut potè qui viſcera labefactet, ventriculum imprimis, & fauces lædat, alimentorum præpediat coctionem, nativum extinguat calorem, nervos offendat, infinitos propè morbos, mortem ipſam ſubitò valeat accerſere, undè meritò concludimus.

(*a*) Lib. 4. cap. 24 inſtit. med.

Ergò noſtris in Regionibus à potu glaciali abſtinendum.

Proponebat Pariſiis PAULUS LE ROY, Aurelianus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1751,
A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1751.